

## THESIS XXXIII.

Potest in votis per Ecclesiae praelatos fieri dispensatio et consequenter commutatio.

190. **Nota.** I. Quinque modis potest quis liberari a voto: 1.<sup>o</sup> *Decisione materiae*, quod potest contingere, si id quod vovetur, ut dicit D. Thomas (1), fit simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, quod est contra rationem ejus quod cadit sub voto. 2.<sup>o</sup> *Defectu conditionis* in conditionatis. 3.<sup>o</sup> *Irritatione*, ut probat D. Thomas (2), quia nemo potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius. 4.<sup>o</sup> *Commutatione*, quando obligatio voti ab una materia transfertur in aliam. 5.<sup>o</sup> *Dispensatione*, quando aliquis auctoritate Ecclesiae penitus absolvitur a voto.

II. Dispensatio ait Suarez (3), ut communiter a Jurisperitis et Theologis definitur, est relaxatio juris ab habente potestatem legitime facta. Ex hac definitione colligitur discrimen inter dispensationem et interpretationem: nam dispensatio supponit vinculum actu obligans, et tollit obligationem ejus; interpretatio vero non tollit obligationem, sed tantum declarat in re ipsa non esse quia vel numquam orta est, vel cessavit per sese, vel simpliciter, vel pro tali casu: unde dispensatio per se est actus jurisdictionis; interpretatio vero per se est actus scientiae seu doctrinae, et ideo potest fieri auctoritate privata, licet etiam fieri possit authentice, et tunc postulat auctoritatem publicam. Item colligitur discrimen inter dispensationem et irritationem; quae conveniunt in effectu auferendi votum sed differunt in habitudine ad illud; dispensatio cadit in votum, ut solum pendet ex acceptance Dei, etiamsi alias sit omnino firmum et absolutum; irritatio vero respicit votum ut est aliunde infirmum, et conditionatum ex parte materiae vel voluntatis ipsiusmet voventis. Unde fit etiam differre in potestate a qua manant; nam dispensatio semper provenit a potestate speciali a Deo concessa, non autem semper irritatio: item dispensatio semper requirit justam causam, non autem irritatio: item irritatio potest fieri invito vovente, dispensatio vero minime, quia est beneficium quod non fit invito.

III. Thesis est catholica et communis DD. cum D. Thoma, qui licet (l. c. ad 2) videatur dicere Ecclesiam solum interpretari votum amplius non obligare, tamen expresse reprobatur contrariam sententiam in 4, D. 38, q. 1, ar. 4; nec dicta Q. 88, ar. 10, aliter

(1) 2, 2, Q. 88, a. 10.—(2) *Ibid.* a. 8.—(3) De voto. L. 6, c. 9, nn. 1, 2.

sentit, ut intelligi potest ex comparatione ad dispensationem legis humanae, qua in corpore et in resp. ad 2, utitur, atque ex doctrina ejusdem ar. 11 et 12. Unde quando in praedicto articulo ait, per dispensationem determinari non esse bonum vel conveniens servare votum, non est intelligendum hoc supponi ante dispensationem, sed per illius determinationem fieri; vel intelligendum est affirmative potius quam negative, scilicet, bonum esse et conveniens media dispensatione in tali causa non servari votum (1).

191. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex usu et traditione Ecclesiae; tam frequens enim est usus hujus dispensationis in Ecclesia, tamque antiquus ut de potestate dubitare non liceat; nam esset intolerabilis error in Ecclesia in re maxime necessaria ad mores, quod ejus sanctitati repugnat.

2.<sup>o</sup> Cum D. Thoma (2) ex verbis S. Pauli (3): *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* ubi Apostolus significat se condonasse debitum poenae contractum ex culpa. Ergo et praelati Ecclesiae possunt condonare nomine Dei debitum contractum ex voto, cum non dissimilis sit ratio, imo saepe necessarium ad salutem animarum.

3.<sup>o</sup> Ratione D. Thomae, quam ita proponit Suarius (4): Omnis humana lex indiget interdum dispensatione. Sed votum est quasi privata lex humana. Ergo indiget interdum dispensatione; ergo non deest in Ecclesia potestas ad illam concedendam juxta illud Matthaei (5). *Quodcumque solveris*, etc... Prob. *conseq.* prima: Lex quae generaliter proponitur in particulari casu potest non expedire; a pari votum quod est veluti privata lex, potest alicui vel in aliquo casu non expedire. Ergo in multis casibus sequerentur multa mala et pericula ex vinculo voti, nisi in eo dispensaretur. Secunda *conseq.* prob. Quia Christus non defuit Ecclesiae in necessariis. Unde haec potestas sine dubio continetur in his verbis, *Pasce oves meas*, quia unus ex praecipuis magisque necessariis actibus hujus pastoralis muneris est haec potestas. Et eadem ratio continetur in illa promissione: *Tibi dabo claves*, etc., et in illa alia: *Quodcumque solveris*, etc.

Quod possit fieri commutatio est corollarium potestatis dispensandi, qui enim potest majus potest minus in majori contentum.

192. Obj. Dispensatio est juris relaxatio. Sed jus solvendi vota Deo promissa relaxari non potest: Ergo nec votum dispensari. *Min.* prob. Tum quia illud jus est naturale, et in jure naturali non datur dispensatio; tum etiam quia obligatio fundatur in fidelitate

(1) Suar. De voto. L. 6, c. 9, n. 6.—(2) 2, 2, Q. 88, a. 12.—(3) II.<sup>a</sup> Cor. II, 10.—(4) De voto. L. 6, c. 9, n. 8.—(5) XVI.



Deo debita; dispensabile autem non est, ut Deo fidelitas non servetur. Ergo...

Resp. Neg. *Min.* ad prob. 1.<sup>am</sup> non est dispensatio manente materia; conc. hac mutata; neg. «Sicut ex jure naturali et praecepto »divino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eisdem »obedire superiorum legi, vel mandato. Et tamen cum dispensatur »in aliqua lege humana, non fit ut legi humanae non obediatur, »quod est contra legem naturae et mandatum divinum: sed fit, ut »hoc quod erat lex, non sit lex in hoc casu. Ita etiam auctoritate »superioris dispensantis fit, ut hoc quod continebatur sub voto, non »contineatur, inquantum determinatur in hoc casu hoc non esse »congruam materiam voti. Et ideo cum Praelatus Ecclesiae dispensat in voto, non dispensat in praecepto juris naturalis, vel divini; »sed determinat *id quod* cadebat sub obligatione deliberationis humanae, quae non potuit omnia circumspicere (1).»

Ad 2.<sup>am</sup> Dist. ult. rationem, ut non servetur auctoritate propria; conc. auctoritate divina; neg. Ratio est quia dispensatio in voto est dispensatio in jure Deo per votum acquisito, quod suo modo ad factum pertinet, quatenus jus dicit actionem ad debitum vel ut dicit dominium. Unde in hac voti ablatione necessarium est dicere concurrere Pontificem seu Praelatum ex parte Dei remittendo obligationem Deo factam et declarando sibi esse placitum ut votum non servetur (2).

Quinam praelati valeant dispensare, quae conditiones requirantur ad validam dispensationem vide apud casuistas. Solemnitatem votorum religiosorum esse ex jure ecclesiastico alibi (Thes. VIII) probatum est.

Alii religionis actus juxta D. Thomam sunt adoratio, sacrificium, oblatio primitiarum et donorum, oblatio decimarum, juramentum, adjuratio, laus et gratiarum actio; sed ex istis actibus laus et gratiarum actio tamquam partes orationis haberi possunt; de gratiarum actione expresse docet D. Thomas (3), et de laude, «quae fere semper petitioni miscetur» similiter sentiendum est (4). De juramento et adjuratione quantum satis est candidatum theologiae scire, traditur in expositione casuum. De oblatione primitiarum, donorum et decimarum tamquam de re nostris temporibus minus necessaria nihil addendum duximus; de sacrificio tam in genere, quam in specie ubi de Eucharistia (5) actum est; restat

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 88, a. 10 ad 2.—(2) Suarius De voto. L. 6, c. 9, n. 16.—(3) 2, 2, Q. 83, art. ult.—(4) De just. et jur. Lessius L. 2, c. 37, init.—(5) Vol. III, Disq. IV, Pars. II, Praeamb.

ut de adoratione disseramus, de ea prout Deo O. M. debita tam interne quam externe, tam individualiter quam socialiter jam in fundamentalibus (1) disputavimus, ad materiae complementum relicta sunt pro hoc loco ea de cultu Christi et sanctorum exponere, quae in tractatu de Incarnatione brevitate causa fuerunt ommissa.

## ARTICULUS II.

### De cultu Christi et Sanctorum.

193. Praenotanda. I. Quid sit Adoratio, quidve Cultus, in primis prae oculis habendum. Adoratio est quaedam honoris species, seu forma. Honor autem nihil est aliud quam significatio excellentiae rei alicujus vel personae, sive respectu ad ipsum honorantem, sive respectu ad alios; cum enim excellentia sit relatio, exigit necessario terminum quem respiciat. Jam vero significare excellentiam alterius dicitur generatim *cultus* seu colere: si autem terminus ad quem illa refertur seu quem superat excellentia est ipse qui cultum praebet, appellatur adoratio seu adorare.

Cultus, ideoque et adoratio, est actus virtutis ad alterum tendentis, ac proinde sub generali justitiae virtute comprehenditur; quapropter est actus ad voluntatem pertinens, licet supponat necessario actum intellectus, nempe, illius qui colendus est, bonam estimationem (2).

II. Duplex ad cultum convenire debet actus; alter elicited, velle colere seu adorare; alter imperatus, nempe, ipsa testificatio, seu significatio excellentiae alterius. Proinde et duplex objectum in quolibet cultu distinguere oportet: *objectum quod*, et *objectum cui*; seu actum adorandi, qui est objectum actus eliciti; et rem, vel personam cui exhibetur cultus, quae est imperati actus objectum; illud est hujus virtutis objectum proximum, istud vero remotum, seu mediatum. Attamen si de adaequata simul loquamur adoratione, quatenus actu constat elicito et imperato, objectum ejusdem proximum est res seu persona quae colitur: materiale quidem cui vel formale (radicaliter, remote) secundum quod vel subjectum excellentiae, vel excellentiam ipsam mente attingimus, propter quam objectum colitur, et habet actus illam peculiarem honestatem, quae immediate formaliter movet ad adorandum (3).

III. Si excellentia quam respicit cultus fuerit divina, dicitur

(1) Vol. I, Disq. II, nn. 2, 23.—(2) V. Sua r. in 3, Part. D. 51, sec. 1.—(3) V. Thes. XXIX.



cultus, seu adoratio latriae: si vero fuerit excellentia creata, est cultus duliae. Cum autem perfectio propter quam objectum excelsit, possit in proprietate aliqua ejus absoluta consistere, vel in habitudine aliqua; cultus quoque in prima hypothesis absolutus dicitur, in altera vero relativus.

THESIS XXXIV.

Christus Deus-Homo adorandus supremo latriae cultu; Humanitas eodem simul cultu coadoratur.

194. Intellige *specificative ut est homo, non reduplicative quia homo*. Est de fide catholica. Prob. 1.º Ex Syn. Ephesina Oecum. III (1). «Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum »Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum, tamquam alterum cum altero (nam con syllaba superadjecta haec cogit intelligi), ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum »caro factum est; anathema sit.»

Etiam Syn. Oecum, V, c. 9. «Si quis adorari in duabus naturis »dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur, semotim »Deo Verbo, et semotim homini; aut si quis... sic adorat Christum, »sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod Sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est; »talit anathema sit.»

2.º Ex Scriptura, Paulus (2). *Et cum iterum introducit Primum genitum in orbem terrae dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei.* Joannes (3) etiam et David (4), ubi ut verus Deus, אֱלֹהִים, adoratur.

3.º S. Athanasius (5): «Cum Dominum in carne adoramus, »non rem creatam adoramus, sed Creatorem creato indutum corpore... An non adorari dignum est santissimum vereque venerandum »Domini Corpus, quod quidem ab Archangelo Gabriel annuntiatum, a Sp. Sancto formatum, ac Verbi factum est indumentum?» S. Ambrosius (6), «Numquid cum et divinitatem ejus adoramus et carnem, Christum dividimus? Numquid cum in eo imaginem Dei crucemque veneramus, dividimus eum?»

4.º Cultus latriae est testificatio divinae excellentiae: Sed Christus ita habet divinam excellentiam (est Deus) ut ipsi humanitati substantialiter communicetur; ergo Christus adorandus latriae

(1) Can. 8.—(2) Hebrae. I, 6.—(3) V, 22, XX, 28.—(4) Ps. XCVI, 7.—(5) Epist. ad Adelphium.—(6) L. De Incarnat. Domin. sacramento, c. 7.

cultu, et humanitas eodem coadoranda. *Min.* patet ex disq. de Deo Incarnato (1). Humanitas enim subsistit per Verbum, ideoque ejusdem substantiale complementum est ipse Deus.

195. Obj. Humanitas non est Deus: ergo non est adoranda latriae cultu.

Resp. Dist. *antec.* Non est Deus si consideratur ut distincta; conc. Ut subsistens per Verbum; neg.

Inst. 1.º Consideranda est humanitas ut distincta; nam talis est; ergo inanis est solutio.

Resp. Dist. *antec.* Humanitas imperfecta, non completa, debet considerari ut distincta; conc. Humanitas completa et perfecta, seu subsistens, debet considerari ut distincta; neg. et dein *consequentiam*.

Inst. 2.º Igitur potest Humanitas, saltem ut incompleta, distincte et separatim considerari: ergo duae fieri poterunt adorationes, neque necessario est coadoranda cum Verbo.

Resp. Dist. *antec.* Potest ita considerari, mere logice et speculative; conc. Practice, seu ad actum adorationis; neg. Quid enim irrationabilius et absurdius quam a rei perfectione et excellentia praescindere, cum de re colenda agendum est? Tandem dist. *conseq.* Poterunt fieri duae adorationes, moraliter seu prudenter; neg. *conseq.* Speculative et imprudenter; subdist. Duae adorationes quarum una sit latriae absolutae, altera latriae relativae; conc.: quarum altera (humanitatis) sit merae duliae, ut Nestoriani volebant; neg. Nam Christi humanitas, si ita logice consideretur, intrinsece dicit respectum ad suum positivum complementum, quod de facto est Verbum divinum: ergo habet excellentiam relativam divinam, ideoque cultu latriae adoranda, et non duliae solum. Si humanitatis substantia in negatione completeretur, praecisio logica omnem cum Verbo relationem abscinderet, et aegre incommodum vitares duarum adorationum.

Attamen Christus in quantum homo potest concomitanter adorari propter excellentem gratiam et sanctitatem creatam suae humanitati inhaerentem. Haec adoratio erit proprie adoratio hyperduliae. Sic D. Thomas (2). Ratio sic redditur. Sancti sunt adorabiles propter gratiam et gloriam creatam. Ergo multo magis Christus. Rursus haec adoratio non fundatur in excellentia increata. Ergo non est latria. Dixi concomitanter, quia quamvis hae adorationes Christi ex rationibus adorandi speculative recte distin-

(1) Vol. II. Disq. VI. Thes. XXI, XXII.—(2) 3, Q. 25, a. 1: «Ex parte causae, »qua honoratur (Christus), possunt dici esse plures adorationes; ut scilicet alio »honore honoretur propter sapientiam increatam, et alio propter sapientiam »creatam.»



quantur, practice tamen ac moraliter semper est Christus perfectissima adoratione patriae colendus; quia unusquisque simpliciter adorari debet perfectissimo honore ratione suae supremae excellentiae sibi debito, sicut rex semper tractatur regio honore, non ducis aut comitis (1).

THESIS XXXV.

Cultus Sacratissimi Cordis Jesu est sanctus, ratione sui objecti excellentissimus, et Ecclesiae fidelibus utilissimus.

196. Nota. I. «Prima origo, ait cl. Egger (2), hujus cultus absque dubio ab ipsa morte Domini repetenda est, in qua latus ejus apertum et Cor ejus transverberatum est, Evangelista teste (3): *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exiit sanguis et aqua.* Hoc quippe vulnus SS. Cordis Jesu ex una parte singularem ejus charitatem nobis manifestat, qua sanguinem suum usque ad ultimam guttam pro nobis effudit; ex altera parte etiam singularem fidelium attentionem et amorem inde a primis temporibus excitavit.» Ne vero esset thesaurus fere omnibus absconditus, sed *fons patens domui David* (4) dilectae famulae suae Btae. Margaritae Mariae de Alacoque (16 Junii 1675) suum Cor flammis adustum, lanceâ transfixum et vulneratum aperuit Christus D. eique significavit: «gratissimum sibi fore, si cultus institueretur Sacratissimi sui Cordis humanum erga genus charitatis igne flagrantis. Nihil mihi acceptius rependere potes, quam si illud quod saepe te rogavi perficias. En Cor quod adeo homines dilexit... Itaque a te requiro ut feria quaeque sexta post octavam festi Corporis Christi, Cordi meo speciali honore colendo sit dicata.» «Dilecto suo P. Bernardo de Hoyos S. J. similiter apparens (14 Maji 1733) dixit: «tua opera volo Cordis mei Sacrosancti cultum extendi, ut quam possint plurimi, donorum meorum per hoc ipsum Cor fiant participes.» «Cultum SSi. Cordis, non modo in Hispania esse propagandam, sed magis etiam quam in aliis nationibus veneratione regnaturum.» Inde *parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit* (5). Etenim post multas contrarietatum vicissitudines jam quotannis ipsa testatur Ecclesia (6), quod ut charitatem Christi «fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens decimus

(1) Suarez. In 3, P. D. 53, sec. 3, nn. 9-15.—(2) Enchir. theol. special. n. 265.—(3) Joann. XIX, 34.—(4) Zach. XIII, 1.—(5) Esther. X, 6.—(6) Lect. VI, offic. Sacri Cordis Jesu. Decr. 19 august. 1890.

»tertius ipsius sacratissimi Cordis festum nonnullis Ecclesiis celebrare concessit. Pius non us ad universam extendit Ecclesiam, ac denique Summus Pontifex Leo decimus tertius, orbis catholici votis obsecundans, ad ritum duplicis primae classis evexit.» Crescat adhuc usque dum solemnitas festi SS. Cordis Jesu sit in Ecclesia Dei secunda post solemnitatem Corporis Christi, quemadmodum ipse Jesus P. Bernardo de Hoyos aliquando futurum praenuntiavit.

II. Nomine igitur cultus SS. Cordis Jesu intelligimus cultum illum quo Cor Jesu flammis charitatis incensum, spinis constrictum, transfixum et vulneratum lanceâ ex voluntate ipsius honoramus ad amantem redamandum, ingratorumque hominum injurias reparandas (1). Acceptione propria cor est nobilissimum humani corporis organum, cujus partes praecipuae in eo sunt, ut per ejus compressionem et dilatationem sanguis per totum corpus distribuatur. Acceptione translata seu symbolica significat ipsum cor physicum quatenus signum naturale est, quod nos in cognitionem interiorum animi affectionum praesertim amoris ducit. Frequentes enim sunt tum in sacra Scriptura cum in profanis libris et quotidiana hominum consuetudine loquutiones hujusmodi, amare ex corde, praebere cor, abstrahere cor a terrenis rebus et aliae similes.

III. Ex praenotatis et probatis in thes. XXIX et XXXIV manifestum est: 1.º *Objectum materiale quod* seu proprium et directum cultus SSmae. Humanitatis Christi esse actionem v. g. genuflexionem qua creatura intellectualis colit et personam divinam Christi veneratur.

2.º *Objectum materiale cui* seu indirectum quod esse ipsummet Christum Deum hominem qui non in se, sed mediante aliquo actu attingitur a religione, quae totam suam materiam in Christum ut personam adoratam refert. Quare ut bene notat in genere Suarez (2), primaria materia adorationis est persona non tamen semper est proxima seu cui immediate deferatur honor, nam interdum ordine executionis, prius adoratur totum in parte, ut cum adoro personam, osculando manum aut vestimenti fimbriam. Idem D. Thomas (3): «Et si quandoque contingat, quod dicatur honorari manus vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum.» Ex quo colligitur:

3.º Divinum Cor Jesu tam physice et realiter acceptum quam symbolice, posse esse objectum

(1) Ex Brev. beatific. B. Margaritae Al.—(2) De Incarn. D. 53, sect. 2, n. 2.—(3) 3, Q. 25, a. 1.



materiale secundarium sed immediatum et proximum cultus; esse vero ita de facto in hoc piissimo cultu ipse Christus D. declaravit (not. I), tradit Ecclesia (not. I, Lect. VI, offic.) et dubitandi locum non relinquit invitatorium (1): «Cor Jesu, charitatis victimam, venite adoremus:» oratio, qua Ecclesia caeleste auxilium precatur pro iis, «qui in sanctissimo dilecti Filii in Corde gloriantes praecipua charitatis ejus beneficia» recolunt. Amplius idem confirmabitur ex documentis in probatione theseos afferendis ut animadvertens lector poterit notare.

4.º Quoad *objectum formale* constat in quolibet cultu SS. Humanitatis Christi *objectum formale radicale primarium* et commune debere esse divinam excellentiam personae Verbi secundum quam Humanitas ejusque partes essentiales et integrales subsistunt; specialiter tamen quia «excellencia divina, ut ait Lugo (2), componitur ex omnibus attributis et invenitur in omnibus,» excellencia amoris Christi Dei hominis poterit esse *objectum formale cultus secundarium* et peculiaris ratio cur specialis cultus uni prae altera parte SS. Humanitatis Christi tribuatur; quamvis, prosequar cum de Lugo, (l. c.) non diversificentur «formaliter actus ex eo quod Deum adores quia est summe sapiens, summe amans, nam ratio adorandi non est praecise sapientia aut amor, sed infinitas sapientiae, infinitas amoris seu excellentia divina.» Jam vero cum amantissimum Cor Jesu sit symbolum amoris tum increati cum creati Christi Dei erga homines, et nihil magis voluerit Christus in institutione hujus suavissimi cultus, «quam ut flammam charitatis qua Cor ejus ureretur, in hominum animis modis omnibus excitaret, quemadmodum suis adseruisse discipulis novimus ex Evangelio (3), *ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur?*» dicendum videtur: excellentiam divinam prout elucet in amore Christi infinito esse *objectum formale speciale* hujus sanctissimi cultus.

IV. Ex quo hic cultus propagari coepit illum impugnarunt Jansenistae, inter quos praecipuum locum tenet Scipio de Ricci Episcopus Pistojae cum hujus civitatis Pseudo-synodo (an. 1786). Adversus eos primo asserimus hunc cultum esse sanctum i. e. ita immunem ab omni superstitione ut sancte et pie sicut alius quivis actus cultus erga sanctissimam Christi humanitatem possit a fidelibus exerceri.

197. I.ª Pars. Est sanctus. Prob. 1.º Pius VI damnavit (4) Prop. 62. Synodi Pist: «Doctrina quae devotionem erga Sacratissi-

(1) Offic. pro aliq. loc. inter quae est Hispaniae.—(2) De Incarn. D. 31, n. 19, 20.—(3) Luc. XII, 49.—(4) Const. Auctor. fidei.

»mum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat (Synodus) velut novas, erroneas aut saltem periculosas; Intellecta de hac devotione qualis est ab Apostolica Sede approbata; Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.» Et propos. 63. «Item in eo quod cultores Cordis Jesu, hoc etiam nomine arguit (Synodus) quod non advertant sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam, cum separatione aut praecisione a divinitate, adorari non posse cultu latrariae; Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel praecisione a Divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro; Captiliosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.» Idem Pius VI (1) ad tuendam hanc devotionem declaravit: «Substantia hujus devotionis eo spectat; ut in symbolica Cordis imagine immensam charitatem effusumque amorem Divini Redemptoris nostri meditemur ac veneremur.»

2.º Ille cultus sanctus dicendus est qui jam a Patribus Ecclesiae, a Sanctis exercebatur, et qui tandem ipso auctore Christo in universa Ecclesia per Summos Pontifices institutus est. Sed talis est cultus SS. Cordis Jesu. Ergo.

Prob. *min.* quoad 1.º a) S. Bernardus (2): «Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile evelli ab eo... O quam bonum et quam jucundum habitare in Corde hoc... et ego inveni Cor Regis, fratris, et amici benigni Jesu, et numquid non adorabo?... Hoc igitur Corde tuo et meo dulcissime Jesu, invento, adorabo te Deum meum... imo me totum trahe in Cor tuum...» S. Augustinus (3): «Per foramina corporis patent mihi arcana Cordis, patet magnum pietatis sacramentum.» Origenes (4) loquens de S. Joanne ait, S. Joannem in Corde Jesu requiesisse, ibi requirentem et perscrutantem thesauros sapientiae et scientiae, qui reconditi erant in Christo Jesu. S. Joannes Chrysost. (5) vocat Cor Jesu «reconditum divinitatis marsupium.» S. Petrus Dam. (6). «Dei thesaurum et vitae fontem,» «caeleste gazophilacium et aeriolum (7).»

b) Ex Sanctis et Doctoribus S. Bonaventura (8): «O amantissima vulnera D. N. Jesu-Christi... Quanta putas animam frui dulcedine, quae per illa foramina conjungitur Cordi Christi... Oh, si

(1) Epist. ad Episc. Pist. Riccium.—(2) De passione, c. 3.—(3) Serm. De exaltatione crucis.—(4) In Cantic. P. 1.—(5) In Ps. XIV.—(6) Serm. 2. De exalt. S. Crucis.—(7) Serm. De exalt. S. Joan. Ev.—(8) In stigm. divin. amor.



»fuissem loco illius lanceae, exire de Christi latere noluissem, sed  
 »dixissem: haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam  
 »elegi eam... Ecce sponsus tuus dulcissimus pro nimio amore  
 »aperuit tibi latus, ut tibi tribuat Cor suum.» S. Franciscus  
 Salesius praecursor cultus publici. SSi. Cordis scribebat devotis  
 filiabus (1): «quam bonus est iste Dominus, dilecta filia, quam ama-  
 »bile ipsius Cor! Vivamus semper in hoc sancto domicilio.» Et in  
 alia: «quadam die dum in oratione perstans, de latere aperto Domini  
 »nostri meditarer, et ipsius Cor aspicerem, mihi videbantur nostra  
 »corda juxta illud stare, sicut ipsum supremum Regem nostri cor-  
 »dis honorando.» Similia habent S. Thomas a Villanova  
 (concion. in Ascenc. Dm.), B. Alphons. de Orozco (in  
 Cant. c. 4), Jacob. Alvarez de Paz (a. 1620), qui, (libr. 4,  
 part. 2, exerc. 2, tom. II) dicit: «Cor istud Domini omnium cordium  
 »sanctissimum atque mundissimum intenta consideratione penetra-  
 »re curabis, ut simile cor, aspirando in oratione, et laborando in  
 »actione habere coneris.» Juxta Suarium (2) Christus «vulnerari  
 »voluit in ea potissimum parte Corporis, qua ejus Cor hominibus  
 »quasi patere posset, intelligerentque sibi apertum ostium, per  
 »quod in Cor Christi ingredi, illicque possent requiescere.»

c) Idem confirmant singulares favores per hoc sacratissimum  
 Cor animabus charitate insignibus praestiti v. g. S. Michaeli  
 a Sanctis, Stae. Theresiae, qui cor suum cum corde  
 Christi vel commutarunt, vel ejus amore vulneratum habuerunt.  
 Omnes praecesserat (saeculo XIII exeunte) Sta. Gertrudis, ut  
 ipsa narrat in suis revelationibus (3): «Praeter haec omnia, addi-  
 »disti etiam mihi inestimabilem amicitiae familiaritatem, impen-  
 »dere nobilissimam illam Deitatis arcam; scilicet deificatum Cor  
 »tuum diversis modis mihi praebendo in copiam omnium delecta-  
 »tionum mearum.»

Prob. *min.* quoad 2.<sup>um</sup> a) Ex dictis in praenotatis.

b) Ex verbis Pii IX (4). «Hunc vero charitatis ignem ut ma-  
 »gis incenderet, Sanctissimi sui Cordis venerationem cultumque  
 »institui in Ecclesia voluit (Christus) ac promoveri.»

c) SS. Pontifices probavere hunc sanctum cultum confraternita-  
 tes SS. Cordis admittendo eisque indulgentias elargiendo, ut In-  
 nocentius XII, Clemens XI, Innocentius XIII,  
 Benedictus XIII, Clemens XII, Benedictus XIV,  
 Clemens XIII, etc.

d) Ex concessione officii et missae data a S. R. C. die 6 Febr.  
 1765 sub Clemente XIII, quae sic se habet: «Congregatio

(1) Epist. 555, 751.—(2) In 3, p. D. 41, sec. 1.—(3) Vitae. act. L. 2, c. 23.—  
 (4) Brev. Beatific. B. Margaritae Alac.

»Sacrorum Rituum probe noscens cultum Cordis Jesu jam esse per  
 »omnes fere catholici orbis partes faventibus earum episcopis pro-  
 »pagatum, saepe etiam a Sede Apostolica decoratum millenis in-  
 »dulgentiarum brevibus datis ad innumeras propemodum confrat-  
 »ernitates sub titulo Cordis Jesu canonice erectas: simulque intelli-  
 »gens, hujus Missae et Officii celebratione non aliud agi quam am-  
 »pliari cultum jam institutum...; praevio recessu a decisio sub die  
 »30 Julii 1729, annuendum censuit precibus Episcoporum regni  
 »Poloniae et dictae confraternitatis Urbis.» Pius VII Hispaniae  
 concessit, motus precibus Ferdinandi VII 7 Dec. 1815,  
 et Pius IX universae Ecclesiae ut vidimus in nota I.

3.<sup>o</sup> Ille cultus est sanctus qui tribuitur cui tribui potest, et ra-  
 tiones adsunt ut tribuatur. Sed ita cultus SSi. Cordis Jesu. Ergo.  
*Min.* quoad 1.<sup>um</sup> constat ex nota III. Quoad 2.<sup>um</sup> Prob. a) Cor Jesu  
 est naturalis imago divinorum affectuum Christi Dei hominis, in  
 omni virtutum genere praecipue charitatis. Cor enim hominis suis  
 vitalibus motibus comitatur ac fovet animi affectus, ita ut per cor,  
 ait Bellarminus (1) in Sacris litteris tota anima accipiatur,  
 ut videlicet totum hominem interiorem significet. Sed omnes  
 amantis Christi virtutes ac singuli eorum actus, necnon varii  
 SSi. Cordis comitantes affectus charitate incensi, utpote perfectis-  
 simae divinaeque excellentiae cultu patriae digni existunt. Ergo  
 sanctissimum Cor Jesu propter multas variasque rationes praeci-  
 pue charitatis, dignum est ut specialiter colatur. Confr. Dominus  
 Jesus suum nobis exhibuit Cor ut virtutum suarum sedem et co-  
 mitem dicens (2): *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*  
 Quae sane similiter intelligenda de quibusvis aliis virtutibus mo-  
 ralibus, cum illas omnes perfectissime referat SS.<sup>um</sup> Cor, praecipue  
 charitatem qua impulsus ajebat (3): *Ignem veni mittere in terram,*  
*et quid volo nisi ut accendatur?*

b) Juxta D. Thomam (4), «ex debilitate mentis humanae  
 »est quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum,  
 »ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quae prae-  
 »cipuum est humanitas Christi, secundum quod in Praefatione di-  
 »citur, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibi-  
 »lium amorem rapiamur.» Sed inter sensibilia Humanitatis Christi,  
 quae nobis possunt proponi, ut excitemur ad diligendum Deum,  
 maxime proportionatum est Cor Christi, Cor Dei Verbi, charitate  
 erga nos vulneratum et continuo ardens. Ergo...

198. II.<sup>a</sup> Pars. Ratione sui objecti excellentissimi-  
 mus. Prob. 1.<sup>o</sup> Cor Jesu cui in hoc pio exercitio honor defertur

(1) De justific. L. 1, c. 6.—(2) Matthae. XI, 29.—(3) Luc. XII, 49.—  
 (4) 2, 2, Q. 82, a. 3 ad 2.